XIV.
ſtet.

EPISTOLA GRATULATORIA,

QVA

NATURÆ ET ARTIS COMMERCIUM THERAPEVTICUM

DEMONSTRAT,

ET

VIRO JUVENI

NOBILISSIMO PRÆSTANTISSIMO ET EGREGIA ERUDITIONE ORNATISSIMO

DN. JOHANNI ANDREÆ HAMMERER,

MEDICINÆ CANDIDATO DIGNISSIMO,

DVM

LAUDABILITER FINITO CURSU ACADEMICO PRÆMISSA ETIAM SOLIDA ET DOCTA DISSERTATIONE INAUGURALI

DE

NECESSITATE ARTIS MEDICÆ

HONORES DOCTORALES PRO MERITO ASSEQVITUR, DE SPECIMINE HOC SOLENNI ET DIGNITATIBUS OBTINENDIS SINCERO ANIMO GRATULATUR

D. MICHAEL ALBERTI,

PROF. PUBL. EXTR. ET REIP. NORIB. PHYS. ORDIN.

NOBILISSIMO ET PRÆSTANTISSIMO

DOMINO CANDIDATO

πᾶν ἐυτύχημα

D. MICHAEL ALBERTI.

COmmunis ferme eſt & ſuppoſitio & traditio in rebus naturalibus, circa quas vulgo verſatur animus humanus, quod ars imitetur naturam in producendis ejusmodi effectibus & Phænomenis, quæ vulgari loquendi & ſentiendi modo alias naturæ energiæ & poteſtati adſcribi ſolent: quin non multi pro vero atque certo enunciant, quod tunc ars inchoet atque ſuccurrat, vbi natura deficit. Non placet ſtudioſe inquirere atque exponere, an hæc dicteria in univerſaliori acceptione abſolute vera ſint, & an huic entium multiplicationi inconſiderate aſſentire liceat, dum tot naturæ declamantur, quibus ars hæc miniſtras manus præbere debeat; ſed annitar meliori iure enodare, quænam relatio inter naturam & artem, & quodnam commercium inter utramque majori induſtria atque prudentia, ſepoſitis omnibus ludicris præjudiciis, in rebus corpus humanum ejusque vitam & ſanitatem concernentibus, agnoſci, obſervari & ad uſum certum atque dignum applicari debeat. Præbuit mihi occaſionem pro reſolvendo hoc utili problemate, Diſſertatio *Tua* Inauguralis *de Neceſſitate Artis Medicæ.* Plebejum enim mihi ſane atque ſterile videtur illud opprobrium, quando de Avtocratia naturæ humanæ diſſeritur, quaſi ars Medica propterea neceſſaria haud ſit; vel quando de circumſcripta & limitata artis poteſtate agitur, quaſi eapropter omnia & ſingula naturæ committenda veniant, dum male quidam, ſtantibus hiſce reſpectibus, artem abſolute

fruſtraneam aut ſuperfluam æſtimant, vnde peculiari induſtria *Tu*, *Nobiliſſime Domine Candidate*, hanc artis medicæ neceſſitatem explicare, laudabiliter ſuſcepiſti. Eſt vero & in Medica Sphæra ratum atque firmum, quod *Quintilianus* jam profeſſus, quaſi *nihil præcepta atque artes valeant, niſi adjuvante, aut concurrente aut aſſentiente natura.* Cum itaque Medicus duplicem neceſſario reſpectum habere debeat, primarium unum, nimirum veræ cognitionis naturæ, alterum ſecundarium, videlicet artis miniſtrantis & poteſtatis & capacitatis, propterea etiam accuratiori ſolertia illuſtrandum eſt, quid ex *Energia naturæ*, ex *Miniſterio artis*, & *Synergia* utriusque fluat, exſpectandum & obſervandum veniat. Circa naturæ cognitionem, abſonum ſane eſſet cum auſteritate urgere velle, cognitionem eſſentiæ naturæ, cui hyperormati, jam accurate obicem poſuit *Conringius*, qui in *introductione in univerſam artem Medicam cap. I.* recte confitetur, quod *natura animæ ut talis Medico cognitu non ſit neceſſaria, qua ignorata nihilominus opus ſuum exercere poteſt*; unde ſufficit hujus naturæ activitatem, in movendo, præſervando, conſervando & reparando corpore ex effectibus agnoſcere, illius officium & Methodum, in conſervatorio & reparatorio actu annotare, ut propterea eundem ordinem artificioſa ope ſua tanto circumſpectius & efficacius imitari valeat Medicus. Hæc enim natura propterea corpori indita & immiſſa eſt, ut corpus non modo vivificet, ſed &, ut vivum conſervet, neue ordinario ſolum quodam ſtudio corpus ſuum defendat atque vindicet, ſed & in ſtatu læſæ ſanitatis atque extraordinariis periculis illud ſuum corpus extraordinaria activitate atque vigilantia aut præmuniat, aut noxiis illis effectibus eripiat reſtituatque: utpote quæ non aliunde niſi à benigniſſimo creatore edocta, optime ipſi ſuo, cui inhæret, & per quod innumeros uſus excipit atque capeſſit, corpori ſubvenire novit, ſimilique ſimplici notitia inſtructa, percipit quid in corpore ſuo contingat, quo-

modo

modo varia objecta & ſubjecta ſeſe ad corporis craſin & texturam habeant, & per quos motuum gradus atque ordines hiſce circumſtantiis atque occaſionibus reſiſtendum & ſuccurrendum ſit. Hæſitant enim illæ vulgares perſuaſiones, quaſi corpori concreata ſit illa qualitas ſeu capacitas, qua ſibi ipſi mederi & per ſe nocumenta vel imminentia vel præſentia excutere valeat; cum corpori, ut nude phyſico ſeu inanimato hanc poteſtatem aſſignare velle, contra omnem ſenſum phyſicum ſit: claudicant etiam hic mirifice ſuppoſiti illi impulſus, niſus, elateres, reniſus, ſtimuli nude phyſici, quin neque configuratio corporis exhaurit, aut connectit tot reſpectus, ſub quibus corpus & conſervari & reſtitui debet, præprimis dum fruſtra ſupponi poſſet, quaſi illa corpori inſit neceſſitas, ut tali ordine, tali tempore, tali conſtantia, tali modulo atque gradu, moveri & dirigi debeat: cui aſſerto multis modis contrariatur in genere habilitas corporis, ad ſubeundos pari facilitate ſiniſtros atque perverſos, quam juſtos & ſalutares motus, ſpecialiori vero conſiderandi ratione reſiſtunt huic fragili poſtulato, efficacia animi pathematum in mutandis motibus vitalibus, æſtimatio diſpoſitionis hæreditariæ, morborum conſuetudinalium, periodicorum, ætatum, connexio inter temperamentum corporis, & mores individuales, obſervatio nævorum maternorum, & illuſtre illud phænomenon in praxi medica millenis exemplis confirmatum, Medicinæ ſine Medico; ſed hæc ὡς ἐν παρόδῳ indicaſſe ſuffecerit. Paucis commendare libuit, quam longe, alia ſimplex & omnibus petitionibus principii libera & liberata naturæ cognitio acquirenda veniat; qua has præcipue circumſtantias penſitare & enucleare fructuoſum erit, nimirum 1) cur anima & corpus tam arcto vinculo cohæreant, ut neutrum in vitali œconomia ſine altero eſſe debeat aut poſſit. 2) cur ad τὸ vivum requiratur anima, non ſolum præſentia ſua, ſed quod altioris eſt indaginis, influxu ſuo activo in corpus: olet enim maximopere me-

taphyſicam obſcuritatem, præſentiam nudam animæ cum vita connectere, cum τὸ vivum minime in abſtracto concipi queat, uti ſuppoſita illa præſentia ſimpliciter in hoc ordine abſtractiva exiſtit: præſens enim anima & nihil movens, nullo rationabili conceptu vitam inducit. Quin ultro conſiderandum eſt 3) cur motus vitales alterentur, quando anima rationalis alteratur, teſtimonio patheticarum commotionum; aut 4) cur motus vitales ſegnius ſuccedant, quando morales intenſius exercentur: cur infantes præmaturè prudentes vel ſufficienti robore corporis deficiant, vel præmaturius moriantur? 5) cur inter actus mechanicos & organicos tam multa tamque notoria diſcretio intercedat? 6) cur ſub tantis actuum & progreſſuum mechanicorum alterationibus vita tamen & ſanitas illibata exiſtat. 7) cur læſa corporis connexione, reſtitutio tamen ſponte ſuccedat? 8) cur imminentibus aut jam ſuccedentibus noxiis effectibus, motus vitales vel accurate vel proportionate progrediantur, prout excutiendis illis nocumentis conveniunt? 9) Quo ſenſu & qua ratione veteres Medici, imprimis vero *Hippocrates*, *Galenus*, & ex hiſce *Valeriola* naturam ſapientem, prudentem, conſciam, fidam, juſtam prædicent, medicisque commendent, ut naturæ ordinem, vias, methodum, ductum & aſſenſum ſedulo attendant. 10) Cur repugnando methodo à natura inventa & exercita, effectus ſemper peſſime cedant, exemplo inflammationum, febrium, aut Hæmorrhagiarum retropulſarum? 11) Cur contra, juſte & circumſpecte promota hac methodo, nihil aliud niſi ſalutaris eventus exſpectari & obtineri queat? 12) Cur motus extraordinarii ſecundum communem perſuaſionem morbidi & paſſivi, imo tumultuarii appellari ſoliti, tamen ſalutares exiſtant? 13) Cur mors abſolute extimeſcenda veniat, ſi motus illi, ſtantibus illis circumſtantiis, deficerent. v. gr. quando præſente ſtaſi ſanguinis, inflammatio deficit &c.? 14) Quid ad corpus ſanum animus ſanus contribuat? 15) Cur corpus animale,

quod

quod præceps eſt ad corruptionem, tam raro corruptionem actualem incidat? 16) Cur motus ad certum & ſalutarem finem directi, non ſint fortuiti, aut nude Phyſici? 17) Unde illi ordines atque progreſſus horum motuum, tam in ſtatu ſanitatis, quam ægrotationis ſuccedentium petendi ſint? 18) Cur læſis partibus, tam fluidis quam ſolidis, motus tamen vitales non ita abſolute offendantur aut perturbentur, ſed majori circumſpectione, & extraordinaria accurata directione exerceantur, teſtimonio inquinationum contagioſarum ſanguinis, verarum obſtructionum & ſtaſium, nec non vulnerationum & ſtagnationum &c.? 19) Cur in ordine vitali non tam alteratio ſeu correctio materiæ, quam excluſio & eliminatio illius attendatur? 20) Quæ ſit ratio phyſica inter materiam peccantem & inter tam proportionatam excretionem ejusdem materiæ? 21) Cui tandem interſit, ut corpus diu vivum ſalvum & incolume exiſtat? &c. &c. Ex quibus ſingulis facile liquet hæc naturæ humanæ Energia in movendo, conſervando & defendendo ſuo corpore, & quomodo nullum aliud principium meliori jure, majori capacitate, accuratiori ordine & potiori neceſſitate corpus ſubjectum animare, vivificare & vivum conſervare debeat, quam hæc natura ſeu anima hominis. Hæc enim uti à benigniſſimo creatore corpori, vt viva & vivificans inſpirata eſt atque indita, jam optime intelligit, quid corpori obſit aut proſit; hæc percipit, utpote generaliori ſenſatione in corpore ſuo activa, quando nocumentum aliquod immineat, & quomodo huic reſiſtendum, quo gradu & ordine, quo tempore & conſtantia, qua aſſiduitate & vigilantia & ad quem finem, in quibus locis & viis motus vitales ita exercendi ſint, ut hoc nocumentum avertatur, eoque ipſo corpus vindicetur & præmuniatur: ita ſane hæc unica natura, illa capacitate prædita eſt, ut corpus ſuum ſufficienter defendere poſſit, ſi modo ſemper τὰ δέοντα præſtaret, neque aliis reſpectibus intenta, convenientem ordinem & gradus transgrederetur. Unde in laudem naturæ *Hippocra-*

pocrates in *Libro de victus ratione in acutis* profitetur: *quod ars Medica ab eo, quod moleſtum eſt, liberet, & id, ex quo quis ægrotat auferendo, ſanitatem reddat, idem & natura per ſe facere noſcat.* Quin attendi merito debet naturæ energia, quæ omnem poſitivum artis concurſum atque poteſtatem reſpuit, ſed ſola ſibi ſufficit in actu nutritionis, generationis, conſolidationis, roborationis & ita dicendæ diſpenſationis actuum ſuorum Se- & Excretoriorum ad exquiſita aut ſtataria tempora, quæ cumprimis in negotio coctionum & criſeon febrilium obſervari poſſunt, de quibus ſingulis accurate egit *Conſultiſſimus & Excellentiſſimus D. D. Stahlius in Diſp. de Poteſtate artis Medicæ.* Tanta inquam eſt energia naturæ, ut illa à ratione & æſtimatione τῦ vivi ſeparari minime debeat, imo, ubi ceſſante illa, vita per proximum & inevitabile conſequens ceſſat & evaneſcit. Unde hujus cognitionem pro Cynoſura Therapiæ ſalutaris veteres Medici perite injunxerunt, quam viam etiam ingreſſi ſunt *Sydenhamius*, cujus *præfatio* imprimis ad *Opuſcula Medica* conferri poteſt, & *Baglivius*, qui ex ipſa experientia edocti perſpexerunt, quantum conferat juſtam naturæ cognitionem aſſequi & poſſidere, quo etiam facit elegans textus *Hippocratis* in *Priſca Medicina*: *manifeſtam naturæ cognitionem non aliunde, quam ex arte Medica haberi cenſeo, quam is facile percipiet, qui univerſam artem probe complexus fuerit; quandoquidem naturæ cognitio mihi medico neceſſaria eſſe videtur.* Conferatur elegans & ſolida *Diſſertatio* ſupra Laudati Conſultiſſimi Viri de *Cynoſura Therapias.* Et hæc breviſſimis de *Energia natura* indicare libuit. Ordo etiam poſtulat, ut de *Miniſterio artis*, ea, quæ utilia, & ſcitu neceſſaria ſunt, indicem. Poſſem quidem huic labori commodè ſuperſedere, ne ſoli lucem affundere videar, cum ex abundanti hoc negotium illuſtratum ſit in *Diſp. de Miniſterio artis naturæ ſalutariter adhibendo* à prælaudato Viro in publicum emiſſa, ſed ut meo Themati & promiſſo ſatisfaciam, brevisſimis me

expe-

expediam in commonſtrando hoc negotio. Quemadmodum vero hæc natura poſt miſerandum lapſum ita perverſa eſt, ut vix ſemper illa & imitetur & exſequatur, quæ neceſſaria ſunt, ſed è meliori ſemper in deteriorem ſtatum ruat, & ita quidem in præfixo ſcopo aſſequendo, modo plus modo minus operetur, imo alibi alias vias aliaque tempora ſeligat, eoque ipſo comprobet, quod errare posſit & ſoleat, imo quod adhuc magis, uti hæc anima in digniori & nobiliori actu, nimirum morali, indies errores committere ſolet, ut propterea non cum injuria Philoſophus quidam confeſſus fuerit, quod *tota vita humana erroribus tranſigatur*; ita abſonum eſſet, naturam in vitali negotio activam tam exquiſite ſapientem, prudentem, æquam & juſtam ſupponere velle, niſi ex ipſo facto quisquam rubore ſuffundi geſtiat, quod frequenter erret: proinde artis miniſterium requiritur, ut Sphalmata talia emendentur, quantum quidem efficere licet, quo cum miniſterio impetuoſæ, temerariæ & immodeſtæ motuum proſecutiones mitigandæ, leniendæ aut compeſcendæ, & viciſſim ſegniores, aut ſub virium ſufficientium & neceſſariarum ſimulatione, debiliores eorundem motuum gradus excitandi, provocandi aut promovendi ſint, vel in juſtum ordinem, ad juſtas vias, è convenientibus locis, dirigendi aut inſtruendi veniant: ita facile pateſit, quo maxime ars hæc cooperari debeat. Præſtat vero in eo ad *Galeni* in *Libro de Tuenda Sanitate* monitum & *Conringii* iteratam commendationem, imo *Excellentiſſimi Stahlii* meliorem inculcationem, cognitionem ſanitatis ad notitiam morborum conferre & acquirere, ut ſic regula recti, fiat regula curvi, i. e., ut provide & continenter obſervemus ordinatas illas,, actuum vitalium executiones, quibus natura in ſtatu ſani-,, tatis perpetuo vigili influxu & occurſu, noxios effectus,, declinat & intercipit, utpote quorum efficaci uſu atq; juſto,, exercitio, res corpori nocere aptæ indeſinenter, i.e. quam-,,

 ,,diu

„diu integra eſt ſanitas, eliminantur & eo ipſo corpus pu-
„rum atque inviolatum conſervatur; ne contra methodum hanc vitalem craſſe & inique ars medica impingat, ſed rationabiliter miniſterium ſuum gerat, quale natura deſiderat, admittit atque tolerat; neve contra regulam obtinendi ſalutaris finis naturam vel immodeſtius provocet, vel repellat, vel impediat aut cohibeat, neque ad incongruos actus incitet, in perverſas vias dirigat, & ſic ſuo ſcopo magis obſit quam proſit. Proinde etiam obſervandum eſt, quomodo ob varias cauſſas & difficultates intercedentes natura non ſemper illum finem aſſequatur, quem antea intenderat, propterea que in nudis moliminibus promotoriis & emotoriis ſubſiſtat, cui de hinc miniſtras ſed fideles manus præbere debet ars medica, ut nimirum vel removeat illa offendicula, vel etiam promoveat illum actum ſalutarem; quod vero artis commercium eo unice dirigi debet, ut vel machinantes vel jam inductæ corruptelæ convenienter auferantur: qua occaſione artifex genuinam viam & modum obſervare poterit, qua ratione, quo modo, & qua proſecutione alias natura humana inventionum ſuarum juſta executione & efficaci & legitima adminiſtratione ſimilibus cauſſis ſubvenire & ſponte mederi ſoleat, quam ipſam methodum inſequi & proſequi optimo jure poterit & quidem lege rationabilis connexionis & concluſionis (in quo recte ſenſit Italus ille Medicus *Donatus Antonius ab Altomari*, cujus *Conringius* propterea honorificam mentionem fecit, quod tunc *arte naturæ ſuccurrendum ſit, quando hæc præfixum ſibi finem obtinere haud poteſt*:) unde in eo etiam liberior campus patet artis commercio & miniſterio, dum non modo erroneis illis vacillationibus ſuccurrere, ſed & hiſce impedimentis ſubvenire poteſt. Tanto magis vero ars hæc commercium & miniſterium ſuum confirmare & tueri debet, quando natura in expediendis neceſſariis & ſalutaribus excretionibus, quibuscum præcipue vita acqui-

quiritur & obfirmatur, vel deflectit vel impar exiſtit, tam ob materiarum movendarum malam proportionem, quam ob viarum ſtricturam, obſtipationem & inſufficientem permeabilitatem, ut & ob aliquam deſuetudinem in adminiſtrando tali actu, aut aliunde inductam repreſſionem & perturbationem, quibus ſingulis circumſtantiis quantum poteſt & prudenter & opportune & convenienter omnino ſuccurrere debet ars medica, ita tamen ne conſueto ordini vitali vim & injuriam inferat, per temerarias nimirum operationes, immodeſtas motuum provocationes, & iniquas contrariarum excretionum exſtimulationes. Dum vero ſingula hæc motibus abſolvuntur, propterea arduum, ſed ſolidum & conſideratu admodum dignum eſt requiſitum, ut ars Medica non tam materiis immutandis, meliorandis, aut corrigendis maximam operam adhibeat, ſed ut potius motibus illis recte & condigne tractandis & dirigendis, ubique proſpicere valeat: quæ certe res primariam ſane occaſionem ſuppeditat, & inquirendi & inveniendi cauſſam, cur tot eventibus tam infidum reperiatur hoc artis commercium & miniſterium, quando nimirum ars hæc potiori ſtudio cum materialibus affectionibus occupata eſt & ſubinde motuum finales reſpectus vel penitus negligit, vel negligenter conſiderat. Quin hanc etiam circumſtantiam in ſuam rem trahat miniſtrans & συνεργȣμένη Therapia, ut diverſis illis evacuationibus è variis locis per ætatum mutationes ſuccedere ſolitis vel debentibus accurate proſpiciat, ne indiſcretim vicarias excretiones ſuſcitet, & quaqua verſum naturam turbet & propellat. Habet hæc conſideratio palmarium uſum in negotio menſtruæ & hæmorrhoidalis evacuationis: hæ enim ſi ob multiplices cauſſas vel perturbantur, vel imminuuntur vel ſupprimuntur, inique cum artificialibus apertionibus & ventilationibus in ſuperioribus corporis regionibus tractari ſolent, dum vel propterea magis confunduntur vel contumacius ſupprimuntur, vel in alia mor-

 borum

borum ſchemata ſuperiores partes graviter offendentia, transfigurantur. Cum contra ventilationes in inferioribus locis exercitæ, longe majorem & digniorem utilitatem non modo polliceantur ſed & actu inducant. Dignam etiam & prudentem conſiderationem meretur practica illa duplex circumſtantia, quæ perinde comercium artis cum natura urget, primo, quando loco evacuationum ſanguinearum ſeroſæ aut catarrhales non modo excretiones, ſed & ſeceſſiones & quandoque ſtagnationes Rhevmaticæ accedunt, imo impoſterum ob conſuetudinem aliquam acquiſitam, inſiſtunt & recurrunt, teſtimonio Coryzæ, Gravedinis aut Tuſſis, congeſtiones ſanguinis excipientium, quibus partim fruſtra per nuda anticatarrhalia expectorantia aut emollientia ſuccurrit ars; cum potius cognita exquiſitè horum præcedentium moliminum finali cauſſa, miniſtrans ars, & meliori efficacia & majori utilitate ſubvenire queat, per convenientem ſanguinis ventilationem ſeu imminutionem &c. Deinde artis commercio opus eſt, quando natura cum evacuatione ſanguinea à ſolitis & convenientibus viis & locis ad alias partes huic ætatis periodo minime congruas evagatur, teſtimonio Menſtruarum aut Hæmorrhoidalium exonerationum è Ventriculo aut pulmonibus eluctantium, in quo caſu eò maxime ars anniti debet, ut ab inſolitis hiſce viis naturam ad ordinarias revocet, ne ex ejusmodi fluctuationibus & extravagationibus alii ſiniſtri atque ſuſpecti effectus propullulent. Ut ut vero hoc commercium artis cum natura ex hiſce Phænomenis, nimirum ex evacuationum tractationibus facile liquet: ita tanto magis hoc perſpicere licet in illis caſibus, ubi abſolute ars neceſſaria eſt, dum in Luxationibus, tempeſtiva repoſitione, in corruptionibus, matura ablatione, in perverſa Epigeneſi, opportuna & convenienti remotione, in inquinationibus ſordidis, juſta abſterſione & mundificatione, opus eſt; in quibus actibus naturæ in eo ſubveni-

nire integrum & neceſſe eſt, ubi vel excedit vel deficit, vel ubi ad ejusmodi actus libere conſentit, quem tamen ſponte perficere non poteſt: quibus vero ſingulis præſtitis, reliquum omnino naturæ vigori & activitati committere decet, quemadmodum minime in artis poteſtate eſt diſſolutas partes conſolidare, repoſitas ſufficienti tono ſeu robore inſtruere &c. quæ vero unice natura peragere debet; inde etiam eſt cur languente hac, aut ob ſenectutem deficiente & vacillante aut declinante, tales ultimi actus ſegnius, difficilius, inertius & tardius ad convenientem effectum pertingant. Poſſem hujus rei adhuc varia argumenta & documenta in medium proferre ex negotio Hæmorrhagiarum per ſpecies conſideratarum, ſpaſmorum, congeſtionum, inflammationum, febrium, ſi propoſitum meum in non nimis diffuſum laborem excurreret, unde paucisſimis adhuc hoc commercium naturæ & artis in morbis Chronicis & quidem ſeroſis indicare lubet. Hi cum ex perturbatis motuum vitalium progreſſibus, præcipuè vero & familiarius quidem ex impeditis aut cohibitis vel actualibus hæmorrhagiis, vel moliminibus hæmorrhagicis ortum trahant, & perinde Cacoſi quadam humorum innitantur, propterea duplicem cumprimis ſcopum arti commendant, ut vel motibus illis perturbatis & impeditis dextre proſpiciatur, vel dyſcraſiæ illius repurgatio adjuvetur, & neceſſariæ atque utiles excretiones, huic ſtatui apprime conformes promoveantur: quo loco iterum à laborioſa illa & tardius ſuccedente materiarum alteratione in tantum abſtinendum eſt, in quantum eo ipſo excretiones neceſſarias negligendi occaſio intercedit: interea illa artificialis materiarum præparatio ita & ſuſcitanda & ordinanda erit, ut evacuationes commodæ & congruæ tempeſtive ſubſtitui queant. Ubi tamen iterum cavendum eſt, ab illis audacibus ſeroſarum excretionum provocationibus, quod tentamen plurimum ex illa credula perſuaſione de frequenti præſentia cruditatum provenire ſolet,

cum meminiſſe referat, quod *Hippocrates* recte elocutus ſit, *cruda neque purganda, neque movenda eſſe, ſed cocta:* quæ quamvis ad febrium tractationes proprie pertineant, tamen ſano ſenſu ad alios affectus applicari poſſunt; in quibus pari neceſſitate proportio humorum ad motus requiritur; unde habebit hic iterum ars quandam occaſionem evacuationes ſeroſas juſte tractandi, dirigendi, promovendi, facilitandi, ſi ſponte non evenerint; aut ſi etiam ſponte ſucceſſerint, in juſto ordine conſervandi, non temere repellendi, exceſſus ſolum corrigendi, non vero totum actum ſimul & ſemel reprimendi, ſed potius mitigandi, aut naturam etiam ſublevandi, ne totus hic labor in eandem incumbat, ſub quo dehinc modum & modulum ſervare nonnunquam obliviſcitur, & ita plus operatur, quam neceſſe eſt; quin inno-teſcit etiam, quale commercium ars cum natura ſervet, in emolliendis mucidis tenacibus oppletionibus pulmonum, in abſtergendis internis & externis ulcerationibus, in promovendis leceſſionibus & abſterſionibus, inquinamentorum ulceroſorum, ſcabioſorum, venereorum, ſeroſorum, acrium Maſſæ ſanguineæ firmius inhæreſcentium, in adjuvandis elubricationibus, emollitionibus & abſterſionibus, internorum infarctuum, obviſcationum, indurationum, oppletionum &c. Obtinet vero hæc ars duplex commercium cum natura, dum illa hanc primo aberrantem & deflectentem corrigit, emendat, quantum facere poteſt & licet, deinde, dum eandem ſublevat, manuducit, adjuvat & promovet ad ſalutares & convenientes fines aſſequendos, quo loco etiam removet illa impedimenta, quæ naturam offendere poſſunt, ne ita facile ad præfixum bonum ſcopum pervenire queat. Eſt inſuper hæc ars & conſilio activa, quemadmodum & ipſa ſalutaria conſilia ex arte fluunt, ut officio etiam ſuo recte defungatur artifex, quando per bonum conſilium, etiamſi poſitivum auxilium deſit, morbidis quibusdam diſpoſitionibus ita ſuccurrit, ut auxilio opus haud ſit. Deinde ſervat

hæc

hæc ars commercium ſuum cum natura vel privativè, interdicendo illa, quæ non proſunt, ſed potius nocent, vel poſitive commendando hæc, quæ utilia & directe ad talem ſtatum neceſſaria ſunt. De qua re cum multa adhuc dicenda veniunt, vix tamen permittit præfixum ſpatium pluribus de eadem diſſerere. Neque tertium membrum, quid nimirum ex natura & arte συνεργȣμένοις fluat, hic exponere licebit. Unde hic potius filum rumpo, dum adhuc *Tecum, Nobiliſſime Domine Candidate*, mihi & agendum & diſſerendum eſt. Abſolvis nunc vitam Academicam, poſteaquam egregiè ſane & cum laudabili atque cuivis commendanda induſtria Medicum ſtudium tam Theoreticum quam practicum aſſecutus es. Audiviſti *Celeberrimum* noſtrum *Stahlium*, de quo animitus Tibi gratulor; excepiſti etiam à me dogmata hæc, tam privatiſſimo quam privato & publico ſtudio (quæ hucusque Benedicente Deo ſine ulla variatione & repetere & inculcare ſuevi,) cum optima attentione, multa etiam aſſiduitate; non diem perdidiſti, neq; vagabundus inter nos commoratus es, ſed quilibet Tibi dies fructum induſtriæ Tuæ obtulit. Pertractaſti Medicinam non confusè, non ſub fluctibus ſterilium opinionum; ſed ſincerè & verè, & in illa acquiſiviſti profectus profectò optimos: non placet demulcere caput, quod bonos & honeſtos viros non decet, ſed ex re & veritate Tibi gratulor, de optimo vitæ genere, egregia eruditione, & laudanda induſtria, quibus nobis innotuiſti, propereaque variorum Celeberrimorum Virorum Favorem obtinuiſti. Non raptim hoc ſtudium tractaſti & hos profectus nactus es, ſed patienter & modeſtè & ſufficienter. Gratulor eapropter honoratiſſimis & Splendidiſſimis Tuis parentibus, de filio optimæ indolis optimæque capacitatis. Gratulor Patriæ Tuæ, ob Medicum, quem in Te & obtinet & ſuſcipit non confusè, raptim aut ſuperficiarie, ſed abundè & eleganter cum fructuoſis ſcientiis inſtructum. Gratulor & Tibi, quod DEUS Tuis la-

bo-

boribus tam benigniſſime benedixerit, ut ſtudia Tua, & curſus Academicus tam felicem, tamque optatum finem aſſequantur. Perge, proſequi has vias, quibus laudabiliter hucusque inſtitiſti. Secundet divina clementia omnes ſalutares Tuos labores Medicos; adſiſtat Tuis dignitatibus, reliquis ſtudiis & conaminibus cum gratia, ut animus Tuus Tuorum operum ſalutarem & efficacem ſemper finem contentus perſpicere poſſit. Augeat Tibi vires animi & corporis, ut ita bona ſcientia & conſcientia ſemper fretus, exoptatos & vitæ & praxeos Tuæ effectus & ſucceſſus indeſinenter nanciſcaris. Interea ego certus ſemper eſſe potero, quod applicata Tua egregia induſtria & acquiſita Panoplia ſcientiæ Medicæ, non alios niſi ſalutares fructus ferre queat. Fruere perpetua ſalubritate & proſperitate, & exſequere illa fructuosè, quæ Tibi honores tales Academicos conciliarunt. Vale & Fave.

Dabam Halæ Magdeb.
Menſ. Decembr. 1712.

Typis CHRISTIANI HENCKELII.